

manibus tenens, futurarum pignus nuptiarum, *Icassie* pulchritudinem admiratus ait: a muliere emanarunt mala, cui illa placide & cum honesto rubore solerter respondit: sed & res meliores e muliere exuberant. Qua virginis Responzione attonitus Imperator, ea praterita, Malum Aureum *Theodora* dedit, eique nupti, ex qua suscepit *Theclam*, *Annam*, *Anastasia*, *Pulcheriam*, *Mariam*, & *Michaelem*, quem adhuc puerulum *Theophilus* Imperator moriens Imperii reliquit heredem sub *Theodora* Augusta Matris tutela. Hic obiter advertas, quæso, nonnullos esse, qui post *Baronium* existimant, *Theophilum* Imperatorem, antequam esset animam, erroris sui penituisse, & *Theodora* conjugis suæ, aliorumque fidelium precibus, a penis Inferni fuisse liberatam. At ipse facilius assentior doctissimo nostro *Combesio*, qui has Græciæ sequioris fabulas esse ait in *Notis ad Orationem Historicam in Festum restitutionis Imaginum* a se publicatam in *Auctario Bibliothecæ Græco-Latinae*, in qua hæc fabula legitur (a).

“(a) Cum summam hanc rerum ab Iconomachis Imperatoribus gestarum legerem, venit in mentem, num eorum memoriam Græci dein sub Imperatoribus Catholicis viventes diris execrati unquam fuerint palam in eorum liturgiis, quemadmodum æternis acclamationibus memoriam perennarunt eorum Imperatorum, qui catholica dogmata defenderant, præsertim de sacris imaginibus. Consului eam in rem epistolam Synodi secundæ Nicænæ ad *Alexandrinum*, quam tamen auctam credo novis acclamationibus & diris a Synodo Constantinopolitana anni 842. sub *Michaele* & *Theodora* ejus matre Imperatoribus; adjectis aliis additionibus legi quotannis solebat Dominica secunda Quadragesimæ, a Græcis appellata Dominica orthodoxiæ, eo quod festa dies tunc celebraretur de restitute sacris imaginibus cultu. Multa ibi occurrunt nomina Imperatorum Catholicorum cum fastis acclamationibus; multæ ibi paritur execrationes in hæreticos Iconoclastas vel nomine ipso expressos; nihil tamen adversus Iconomachos Imperatores offendi. Cur ita? ex metu ne? non arbitror; sed ex nominis imperialis reverentia.

D. Cum *Theodora* Augusta, ut observasti, fuerit religiosissima femina, nullus dubito, quin, ea rerum summa potente, novam in Oriente faciem induerit Imperium, restoruerit Religio, fuisque sacris Imaginibus honos restitutus fuerit.

M. *Theodora* Augusta Clavum Imperii regens, nihil secundum Deum antiquius habuit, quam ut sacrarum Imaginum abolitum cultum instauraret. Eam ob rem, ut pium istud, quod inerat, consilium facilius ad optatum exitum perducere posset, habito Constantinopoli Concilio, *Joannem* Pseudo-Patriarcham Constantinopolitanum (a), medullitus Iconoclastam, e Solio Patriarchali dejecit, & in ejus locum suffecit *Methodium* Presbyterum sanctitate vitæ & doctrina celeberrimum, fideique Con-

fessorem eximium, qui a *Theophilo* Imperatore Iconoclasta crudeliter flagris caesus, tumultuque inclusus, per annos aliquot modico pane & aqua sustentandus fuerat detentus. Major Iconoclastarum pars, mutatis animis & sententiis, ad Ecclesiæ unitatem & secundæ Synodi Nicænæ fidei professionem rediit. Monachos, & Episcopos, quos *Theophilus* Imperator solum vertere coegerat, in libertatem asseruit, & ab exilio revocavit *Theodora* Augusta. Sancti *Theodori* Studitæ, egregii sacrarum Imaginum defensoris, corpus, quod post annos undeviginti ab ejus obitu integrum repertum est, & miro odore fragrans, Constantinopolim transferri curavit. Denique, ut Imperium a face Hæresum omnino repurgaret, novos Manichæos, *Paulicianos* videlicet, de medio tollere iussit, si resipiscere, & ab errore resillire nolent.

“(a) In hunc Joannem anathema quotannis pronunciarunt Græci in epistola olim solita, recitari Dominica Orthodoxiæ; de qua in nota superiori. In ea pariter anathema dicitur geminis ante illum Patriarchis *Theodoto* & *Antonio*.

Tam felicem Imperii statum vecordia *Michælis* Imperatoris, & Avunculi ejus *Bardæ* interpellavit ambitio. *Bardus* quippe *Theodora* Augusta fruter rerum Præfecturam ambiens auctor fuit *Michæli* Imperatori, ut Matrem suam *Theodoram*, qua cum annis quatuordecim Republicam administraverat, in ordinem redigeret, ipsique omnium rerum curam demandaret. Imprudentissimus Princeps tam pravis Consiliis auscultans, totius Imperii administrationem arbitrio *Bardæ* avunculi sui permisit, eum Cæsaris dignitate decoravit, seque totum ludis, aurigationibus, perpotationibus, aliisque id genus voluptatibus dedit. Quin, per immunitatem a sæculis inauditam, *Michæel* Imperator malignis *Bardæ* consiliis inductus, *Theodoram* Augustam matrem suam e Palatio ejecit, eamque cum suis filiabus attonderi & mortuales fieri iussit. Quo indute habitu, ac omnibus spoliatae opibus in Cariani Palatium ablegatae sunt, ubi *Theodora* Augusta paulo post obiit. At non diu Deus præpotens scelerum ultor distulit pœnas, quæ *Bardam* primum omnium illorum malorum auctorem juste manebant. Anno enim dccclxvi. *Michæel* Imperator *Bardæ* superbiam perosus, eum per *Basilium* Macedonem trucidari iussit. Cujus cadaver tæde disceptum lacerumque plebs per vicos & plateas ignominiose traxit. Occiso *Barda*, *Michæel* Imperator *Basilium* Macedonem Imperii consortem fecit, qui, pro ea, qua *Michaelem* prosequabatur, amicitia, cum læpius eum reprehenderet, & a vitis, in quibus se se turpiter volutabat, ad meliorem frugem revocare pro viribus niteretur, sibi concitavit odium Imperatoris, qui ex diuturna in vitis consuetudine jam callum in malo obduxerat. Quapropter, *Michæel* Imperator

omnis

omnis reprehensionis impatiens, *Basilium* Imperio exuere, vitæque privare in animum induxit. Sed *Basilius*, ut insidias sibi ab Imperatore stratas anteverteret, eum vino obrutum interfecit anno dccclxvii. cum annis imperasset viginti quinque, hoc est, undecim solus, & quatuordecim cum matre sua *Theodora*. Sublato e vivis *Michaele* Imperatore, solus imperavit *Basilius*, qui Catholicam Religionem fovit, & auxit, Imaginum cultum promovit, Saracenos variis in Regionibus Imperii, & Manichæos prostravit, multas extruxit atque restauravit Basilicas, Judæos plurimos sui munificentiæ pellexit ad fidem. *Bulgaros* recens ad Religionem Christianam convertos missis Sacerdotibus & Monachis piissimis in fide confirmavit. Ecclesiæ fines propagavit, missis ad Russos, sive Ruthenos, Antislite, qui eos fidem Christianam edoceret. Sub eodem *Basilio* Imperatore convocata est Constantinopoli an. dccclxix. sedente *Hadriano* II. Summo Pontifice, octava Synodus generalis, in qua *S. Ignatius* legitimus Patriarcha Constantinopolitanus Sedi suæ restitutus est, & *Photius*, qui eam malis *Bardæ* artibus invaserat, dejectus est; quam Concilii sententiam in *Photium* latam confessim executioni mandari iussit Imperator. His præclaris Gestis magnam sibi gloriam comparavit *Basilius* Imperator, quam postea fallaciis & præstigiis insignis cujusdam Magi & Impositoris *Theodori Santabæriani* Monachi *Photio* amicissimi delusus haud parum obscuravit. Nam *Photium* perniciosum Schismaticum an. dccclxxviii. quo *S. Ignatius* Patriarcha Constantinopolitanus obiit, ad Sedem Constantinopolitanam, qua iuste abdicatus fuerat, revocavit, & in pristinum Patriarchatus dignitatem recepit. Deinde, ejusdem nequissimi viri *Theodori Santabæriani* calumniis inductus, filium suum *Leonem* omnibus Imperialibus ornamentis exutum in carcere per septennium detinuit, donec quadam die, *Basilio* Senatui convivium exhibente, *Plitacus* flebili voce ingeminavit: Heu, Heu Domino Leo! qua voce multi e Senatoribus in fletus prorumpentes etiam atque etiam *Basilium* Imperatorem rogaverunt, ut innocentissimum filium suum *Leonem* tandem aliquando in libertatem assereret, quorum precibus flexus *Basilius* filium suum e vinculis eduxit, eumque Imperii successorem designavit. Tandem anno dccclxxxvi. febris ardoribus violentiori æstu ejus omnem vitalem humorem exhaustientibus ac consumentibus, vita excessit *Basilius*, cum imperasset cum *Michaele* ejus decessore annum unum, alios vero decem, & novem solus rerum summam administrasset, ut ait *Constantinus Porphyrogenneta* in ejus Vita, quæ post *Baronii* obitum publicata est. *Leo* hujus nominis VI. ob eximiam, qua pollebat, eruditionem, *Sapiens*, seu *Philosophus* appellatus, successit Patri suo *Basilio*, tenuitque Imperium annos xxv. menses duos & dies decem, vitamque protraxit ad annum usque dccclxxxi. quare opportunius de eo sermonem habebimus in primo Colloquio in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. Satis sit hic obi-

Græves. Hist. Tom. III.

ter observasse, *Leonem* VI. Imperatorem in custodienda Republica solertem fuisse, eumque in liberalibus disciplinis eruditum, multa scripsisse Opera, de quibus late agit *Baronius*. Indicat etiam *Labbeus* loca, in quibus hæc *Leonis* Imperatoris Opera typis mandata fuerunt. Opus *Basilicorum*, idest, *Regiarum Constitutionum*, in septem Tomos in folio distributum, Parisiisque typis excusum, præcipuum *Leonis* Imperatoris laborem fuisse asserunt Viri eruditi, eique attribunt varia in laudem Mysteriorum Beatissimæ Virginis, aliaque Opuscula.

D. Statum Ecclesiæ sub Imperatoribus Orientis nono sæculo haud parum turbatum fuisse probe intelligo. Ostende modo, si placet, quo loco res Ecclesiæ fuerint eodem sæculo in Occidente?

M. Nonum sæculum in Occidente læta ac magna habuit initia, quibus tamen (ut solenne est accidere rebus humanis) perturbatus cursus ac infelix exitus successit. *Carolus* Francorum Rex, cognomento *Magnus*, sed animi rerumque præstantia *Maximus*, acceptum a Patre *Pipino* Galliarum Regnum, ut jam in præcedentibus Colloquiis observavimus, in eam amplitudinem, & majestatem evexit, ut nullum in Orbe potentius foret, nullumque fortunatius. Parebat ejus legibus non solum Gallia omnis, sed etiam magna Italiae pars, *Germania*, *Novicum*, *Pannonia*, *Dacia*, & alia Septentrionales Regiones, eidemque manum Hispania dare gestiebat. Pro ea singulari observantia, qua Sedem Apostolicam colebat *Carolus Magnus*, Romam anno dcc. venit ut liberaret ac vindicaret *Leonem* III. Summum Pontificem, qui anno dccxcix. pravorum quorundam hominum factione impetratus, oculis linguaque mutilatus, & indignis modis vexatus fuerat (a). Tanti sceleris atrocitate permotus *Carolus Magnus* Romæ Conventum habuit, in quo *Leo III.* a criminibus sibi falso impactis spontaneo juramento sese purgavit, & postea, ipso Natalis Christi die *Carolus Magnus* Imperatorem, & Augustum declaravit anno dccci. sicque in *Carolo Magno* Imperialis dignitatis titulum in Occidente renovavit Pontifex ille *Maximus*, qui jam a trecentis, & amplius annis, stante in Italia Gothorum Regno, penitus defecerat, ut recte explicat *Sigonius* lib. 4. de Regno Italiae ad annum dccci. ubi inquit: Hunc dignitatis Imperatorie titulum, cum in *Momylo* Augustulo, ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos ferme annos, sub Regno *Gothorum* in Italia, defecisset, in eodem Occidente Pontifex renovavit, ut haberet Ecclesia Romana adversus Infideles, Hæreticos, ac Seditiosos Tutorem, cujus Officium repudiasse jam pridem Imperator Orientis videretur. Inauguratus Imperator *Carolus Magnus*, omisso Patrii nomine, quo antea nuncupabatur, Imperator, & *Augustus*, teste *Eginardo* in Annalibus, appellatus est, misitque anno dccci. Legatos in Orientem, ut ejus nuptias cum *Irene* Imperatrice, ad quas ipsa lubenter inclinabat, conciliaret, eaque ratione duo Imperia in unum co-

F 3

lesce-

Iescerent. At Legati, cum Constantinopolim advenissent, spectatores facti sunt non fœderis nuptialis, sed luctuosæ tragediæ. Sub horum squidem oculis *Nicephorus* Patricius Constantinopolitanus, ut jam observavimus, *Irenem* bene meritam de se Imperatricem in *Lesbum* Insulam ingenti satellitum manu stipatam ablegavit, Imperiumque invasit. Spe sua frustratus *Carolus*, omnes suas curas, & cogitationes ad pristinum Imperio Occidentis conciliandum splendorem contulit. Bellum Saxonicum, quod triginta tres annos duraverat, anno tandem *decciv*. feliciter confecit, & Saxones sæpe rebelles, sæpe domitos, Christianam Religionem postea amplexos, atque authoribus rebellionis prostrigatis, incredibili numero per Gallias, & Germaniam sparfit. *Danos* cum eorum Rege *Godofrido* compressit. *Mauros* Italiam populantes repulit. Multos in Germania populos ad fidem Christianam adduxit. Litteras in Galliis instauravit, fovit, amplificavit. Plures liberos ex octo, quas duxit, uxoribus suscepit. Nunquam tamen castitatem conjugalem introductione concubinarum (sicut falso scriperunt Neoterici) scævavit. Regnum suum in Testamento, quod condidit *Carolus Magnus*, inter tres filios superstites divisit. *Carolo* majori natu Belgicam Galliam ac Germaniæ magnam partem; *Pipino* Italiam, Bajoariam, & partem Alemanniæ; *Ludovico* Aquitaniam & Gallias Lugdunensem & Narbonensem concessit, eisque singulis Ecclesiæ causam accuratissime commendavit. Verum, *Carolo*, & *Pipino*, vivo adhuc parente, defunctis, solus superstes *Ludovicus* paternam in ditionem ex asse successit. Postremo, *Carolus Magnus* cum Aquisgrani hiemaret, mense Januario valida febre correptus est, & accedente ad febrem lateris dolore, abiit e vivis anno ætatis suæ *LXXII*. *V*. Kalend. Februarii, ut ait *Eginhardus* in ejus Vita. Sepulchro *Caroli Magni*, teste eodem *Eginhardo*, appositum est istud Epitaphium: *Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli Magni, atque Orthodoxi Imperatoris, qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVII. feliciter tenuit. Decessit Septuagenarius, anno Domini 814. Indiotione VII. V. Kalend. Februarii.* De sanctitate *Caroli Magni* Imperatoris multa habet *Baronius* ad annum Christi *deccxiv*. legendus est etiam *Bollandus* ad diem *xxviii*. mensis Januarii, ubi agendo de publica *S. Caroli Magni* veneratione, Breviaria complurium Ecclesiarum a se visa testatur, in quibus *V*. Kal. Februarii *Carolus* Imperator Officio novem vel trium lætionum colitur. Citat etiam *Bollandus* *Wandelbertum*, aliosque Martyrologos, apud quos eadem die nomen *Caroli* legitur, refertque ex *Breviariis Mindensi* & *Rotomagensi* publicas preces eo quoque die recitari solitas.

„ (a) Non dubito quin aliquantulum exag- geratum sit in narrandis fœdis illis injuriis „ *Leoni III*. Pontifici illatis; cum historici ea „ in re plurimum variant. De oculis offensis „ conveniunt omnes; de lingua mutilata pauci „ asserunt. Quin & de oculis, quamvis erutos

„ tradunt plures, *Agnellus* tamen *Ravennas* in suo Pontificali *Ravennatenis* offensos tantummodo, non erutos scribit. At scriptori in Romanos Pontifices iniquiori non est omnino cur fidem præstemus.

D. Qua de causa mox dixisti, lætis ac magnificis initiis, quæ sæculum Ecclesiæ nonum in Occidente habuit, perturbatum rerum cursum, & infaustum successisse exitum?

M. Id dixi, quia amplitudo, majestasque Galliarum Regum Imperiali dignitate nono Ecclesiæ sæculo aucta tandem stetit in apice, quamdiu vixit *Carolus Magnus*, cui vix parem in omni virtutum genere sive quæ præcesserunt, sive quæ postea insecuta sunt sæcula pepererunt. At, eo mortuo, initium malorum a domesticis turbis, & nefario Principum scelere prodiit, filiis videlicet adversus optimum parentem conjurantibus. Quod quidem quo pacto contigerit, breviter hic enarrabo. *Ludovicus* Galliarum Rex, & Occidentis Imperator, *Pius* cognominatus, *Caroli Magni*, & *Hildegardis* filius totam Patris sui luce functi Ditionem obtinuit, præter tamen Italiæ Regnum, quod *Pipini* fratris sui filio *Bernardo* contigit. Matrimonium cum *Irmingarde* iniiit *Ludovicus Pius*, ex qua tres liberos suscepit *Lotharium*, *Ludovicum*, & *Pipinum*. Mortua vero *Irmingarde* priore conjuge, *Ludovicus Pius* *Juditbam* filiam *Welfi*, seu *Guelphi* comitis in Bavaria secundam duxit uxorem, ex qua natus ei est *Carolus*. Tres liberi *Ludovici Pii* ex *Irmingarde* priore conjuge geniti haud æquo animo ferentes, quod *Carolus* ex *Juditba* secunda uxore natus ipsis æquaretur, in patrem temere insurrexerunt, eumque captum in Campo, qui est inter Argentariam & Basileam, quique ab eorum perfidia dictus est *Mendacii Campus*, Imperio dejecerunt, & *Juditbam* novercam in Monasterio recluserunt. Tentavit *Gregorius* Summus Pontifex hujus nominis *IV*. pacem conciliare *Ludovicum* Pium Imperatorem inter & ejus filios, & ea de causa in Gallias concessit, ut se honorarium pacis arbitrum interponeret. Quapropter, audiri minime debent quidam Scriptores, qui dicunt, hunc Summum Pontificem malevolo in *Ludovicum* Pium animo in Gallias venisse, & ejus perduellibus filiis impensius favisse. Frustra tamen Pontifex hanc concordiam conciliare studuit, cumque nihil obtinere posset, Romam rediit mœrens ac dolens miseram sortem *Ludovici Pii*, qui a filiis suis *Compendium* deductus, ibique in Generali Conventu gladium deponere, sumptoque cilicio, se reum male administrati Regni fateri, & Imperium *Lothario* filio suo cedere coactus est anno *833*. At tanta rerum indignitate Galliarum Proceres, populique commoti, *Ludovicum* Pium injuste depositum Imperio pristinae dignitati sequenti an., seu *deccxxiv*. in integrum restituerunt. Quæ restitutio in Conventu apud *Theodonis Villam* an. *835*. habito, a Primoribus Regni & ab Episcopis fuit approbata, atque omnia, quæ in *Ludovicum* Pium Imperatorem, præsertim in Conventu *Compendiensi*, acta decretaque fuerant, proscripta penitus & abro-

abrogata sunt. Imperio restitutus *Ludovicus Pius* filios suos *Pipinum* & *Ludovicum* ad se redeuntes amantissime complexus est, perduellione ipsis condonata. At *Lotharius* primo genitus *Ludovici Pii* Imperatoris filius, qui patrem contumeliosius cæteris exceperat, tardius cum eo reconciliatus, Gallias civili bello permiscuit, Italiam perturbavit, donec tandem, a patre indulta ei venia, pax inter illos utcumque redintegrata est. Obiit *Ludovicus* Imperator *XII*. Kalend. mensis Julii anni *deccxli*. Vixit annos *lxiv*. Rex Aquitaniam per an. *37*. Imperium vero gubernavit per annos *xxvii*. & menses sex, ut testatur *Annalista Metensis* & *Fuldensis*. Ejus Corpus *Drogo* ipse Frater & Episcopus *Metis* apud Sanctum *Arnulphum*, una cum Episcopis, Abbatibus, Comitibusque congruo honore sepultura tradidit. Fuit *Ludovicus Pius* optimus Imperator, justus, liberalis, & virtutum patris sui *Caroli Magni* imitator. Ea, quæ perperam gesserat contra fratres suos *Drogonem*, *Hugonem*, & *Theodericum*, quos adhuc impuberes & invitos tonderi præceperat, vel contra alios suos agnatos, & præcipue adversus *Bernardum* Italiæ Regem nepotem suum, quem turbas excitantem oculis orbari consenserat, sincera & publica penitentia eluit expiavitque. Præterea, quam insignis illius pietas fuerit, ostendunt infinita bona ab eo Ecclesiis & Monasteriis data, necnon præclarum Elogium, quod de ejus virtutibus celebrat *Thebanus* *Trevirensis* *Chorepiscopus*. Illius etiam zelum & ardorem in propagandis liberalibus disciplinis, Scripturarumque & *SS. Patrum* Codicibus asserendis, unde ad configendas hæreses tela depromerentur, laudibus extollit *Jonas Aurelianensis* Episcopus in Epistola, qua *Carolo Calvo* Galliarum Regi suum de imaginibus nuncupavit Opus. Sub *Ludovico Pio* Imperatore an. *825*. habita est *Parisiensis* Synodus pro cultu imaginum, de qua *Parisiensis* Synodo opportunius in quarto Colloquio differemus.

Lotharius, qui a patre suo *Ludovico Pio* jam ab anno *deccxxiii*. ad Imperii consortium adscitus fuerat, statim ac illum vita functum fuisse accepisset, universæ Monarchiæ acquirendæ avidus fratrum suorum ditiones invadere, & omnia ad se trahere molitus est. Quocirca, *Ludovicus* & *Carolus* ejus fratres in communis causæ discrimine belli conjunctis viribus ei strenue resistebant, eumque duplici prælio debellarunt, uno ad *Vicum Fontanetum* in Burgundia anno *deccxli*. altero ad *Argentoratum* anno sequenti. Victus *Lotharius* pacem interpellavit, quæ demum his conditionibus conclusa est, ut *Lothario* præter Imperium Romanum, ea Galliæ pars cederet, quæ *Scaldi* & *Rheno* continetur, adjuncta etiam Burgundia, cæterisque usque ad *Mediterraneum* subjectis Provinciis; *Ludovico* Germania omnis a sinu *Baltico* usque ad *Rhenum*, tresque ultra *Rhenum* darentur Civitates (vini habendi gratia) *Moguntia* videlicet, *Spira*, & *Wormatia*; denique *Carolo* tribueretur Francia Occidentalis ab *Mosa* flumine usque ad *Mare Britannicum*, cum *Occitania*, & *Marca Hispanica*. His hoc pacto com-

positis, *Lotharius*, postquam ab obitu patris sui *Ludovici Pii* quindecim annis imperasset, penitentia ductus ob ea, quæ in patrem, fratresque olim gesserat, atque peccata in Deum commissa, sæculo & Imperio nunciis remisit, & in penitentis animi signum habitum Monastico in *Prumiensi* Monasterio, quod quinque circiter millium passibus ab Urbe *Trevirensi* distat, indui voluit anno *deccclv*. ubi paulo post vita deceffit. Tres liberos reliquit *Lotharius*, *Ludovicum*, cui jam Italiam concesserat, & quem Imperii collegam renunciarat; *Lotharium*, cui eam Galliæ partem, quæ postea ab illo *Lotharingia* dicta est, concessit; & *Carolum* natu minimum, cui *Provinciam* dedit. Mortuo *Lothario* successit in administratione Imperii *Ludovicus* illius filius hujus nominis *II*. Fuit Princeps litteratus, pius, justus, Ecclesiæ defensor, largus eleemosynarum largitor, & belli etiam artibus clarus. *Adelgisum* liquidem *Beneventi* Ducem, qui stimulus a Græcis arma sumperat, compescuit, & in Insulam *Corficam* fugere compulit. *Normannos* in Gallia tumultuantes repressit, *Saracenos* Italiam devastantes debellavit, & ex ejus finibus expulit. *Lotharius* ejus frater *Waldrade* pellicis amoribus captus, *Theutbergam* conjugem suam *Bosonis* filiam falsis criminibus impetitam repudiare voluit. Qua de causa ad *Nicolaum* Summum Pontificem scripsit, quo prudenter tam injustæ petitioni respondere cunctante, *Lotharius* hujus moræ impatiens coegit *Synodum Aquigranensem* octo Episcoporum, quorum principes erant *Guntarius* *Agrippinensis*, ac *Teutgardus* *Trevirensis* Antistites, qui ejus cum *Waldrade* nuptias approbarunt (a). Quorum iniquissimum Decretum, & a *Nicolao* Pontifice *Maximo* juste reprobatum, in alia *Synodo*, *Metensi* videlicet, iterum confirmari curavit *Lotharius*, mistique *Romam* Legatos eisdem *Guntarium*, & *Teutgardum* Antistites, quos *Nicolaus* *Papa* dignitate amovit, duasque illas *Synodos*, habito *Romæ* Concilio, dampnavit. At, cum isti Antistites, Pontificia auctoritate despecta, sese pro Episcopis gererent, institit *Nicolaus* *Papa* ut eorum loco alii crearentur Episcopi. Quod tamen a *Lothario* obtinere non potuit. Post vero multas tergiversationes, & ludificationes *Lotharius* ab Imperatore *Ludovico* in auxilium contra *Saracenos* accitus, *Romam* venit anno *869*. ubi ab *Hadriano II*. *Nicolai* successore per mendacium veniam impetravit, postquam nimirum sub *Communione* *Dominici* Corporis, se, post interdictum, *Waldrade* pellice abstinuisse, pejeravit. Sed Deus tanto sacrilegio debitas pœnas diu non distulit. Nam in reditu lethali morbo confectus *Lotharius*, paucos post menses *Placentiæ* in pœnam sui perjuriæ repentina morte e vivis sublatus est. Ejus Regnum *Carolus*, a calvitie dictus *Calvus*, Galliarum Rex, & *Ludovicus* Germaniæ Rex partiti sunt. Mortuo autem *Mediolani* absque prole anno *deccclxxv*. *Ludovico II*. Imperatore anno Imperii sui vicesimo, *Carolus* dictus *Calvus* hujus nominis *II*. *Ludovici Pii* ex *Juditba* filius, protinus in Italiam e Gallia,